



W

h


+



STEPH. HOLTHUSII  
 J. U. L.  
 MANUALE  
 JURAMENTORUM.

SIVE  
 BREVIS ET PERSPICUA  
 JURAMENTORUM  
 DELINEATIO.

*Opusculum tam in Schola, quàm in Foro  
 apprime utile.*



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Apud JACOBUM PROMPER Bibliopolam,  
 ANNO MDCCVII.

*Et. finis.*



PERILLUSTRI AC GENEROSISSIMO  
DOMINO

D. FRANCISCO BERNARDO JOANNI  
LIBERO BARONI DE NEUHOFF, DOMINO IN PUN-  
GELSCHIED RADE, & GELINDE, &c. SATRAPÆ IN ALTENA,  
ISERLOHE & NEUENRADE, &c.

*Perillustris ac Generosissime Domine.*



Um in toto Juris Oceano nulla religiosior, nulla  
utilior ac in judiciis frequentior materia jurejuran-  
dô vix reperiatur, nullumque vinculum ad astrin-  
gendam fidem actius sit, id enim indicant Leges in  
XII. Tabulis, indicant Sacra, indicant Fœdera, qui-  
bus etiam cum honestate devincitur fides, indicant notiones ani-  
madversionesque Censuræ, qui nulla de re diligentius, quàm de  
jurejurando judicabant, teste Cicerone *lib. 3. de Offic.* Hinc mihi in  
mentem venit, ut de Juramentis brevem aliquam conscriberem  
Commentarium.

Non

Non ausus fuisset levidensi hâc Commentatiunculâ, quam Tibi offero, tuas interrompere meditationes, nisi insignis tuus erga bonas literas illarumq; cultores favor me excitasset; Suscepisti enim me semper fronte serenâ, etiam in exteris regionibus, quandoque te compellavi, & tam affabilis fuisti mihi, ut nunquam sine commodo, sed qualibet vice doctior, à te recesserim.

Accipe igitur, GENEROSISSIME DOMINE, hosce meos Conatus, tenues illos quidem, sed sinceri obsequii veros indices; meque Perillustri Dignitati Tuâ in perpetuum devotum habe. Dabam Hückesvvagii è Musæo d. vii. Januarii, Anno MDCCVIL.

Perillustri ac Generosissimæ  
Gratiæ tuæ

Devotissimus & obsequiosissimus  
STEPH. HOLTHAUSEN, L.





## INDEX CAPITUM.

- CAP. I. De *Juramentis in genere.*  
CAP. II. De *summa juramenti divisione in Promissorium, Assertorium & Mixtum. In specie verò de Promissorio, ejusdemque diversis speciebus.*  
CAP. III. De *juramento assertorio, ejusdemque diversis speciebus rerum controversarum æstimationem concernentibus.*  
CAP. IV. De *juramenti assertorii speciebus controversarum Decisionem per indirectum respicientibus.*  
CAP. V. De *juramento assertorio rerum controversarum Decisionem directò respiciente, sive litis decisorio, ejusdemque triplici specie.*  
CAP. VI. De *juramento mixto, S. Calumnie generali.*





## CAPUT I.

## De Juramentis in genere. |

## §. I.

**J**uramentum in Rep. Christiana tam de jure divino quam humano licitum esse, certum est. In Veteri Testamento enim institutum Dei legitur. *Exod. 22. v. 11. Deut. 6. v. 13. & cap. 10. v. 20.* Non autem fuit pars Legis ceremonialis vel judicialis: quia nihil habet proprium Judæorum, sed fuit Lex moralis, quod æquè ad Christianos pertinet, atque ad Judæos. In N. T. etiam laudata juramenti adhibiti exempla existare notissimum est. *Vid. 2. Corinth. 1. v. 23.* ubi Apostolus Deum testem invocat in animam suam; clarius adhuc exemplum juramenti corporalis ac solennis habetur *Apocal. 10. v. 5. & 6.* ubi Angelus sustulit manum suam ad cælum, & juravit per eum, qui vivit in sæcula sæculorum.

Nec obstat, quod Christus vetet omninò jurare *Matth. 5. v. 34. seqq.* quia formulas illas jurandi ibi simpliciter vetat, quas nominat cum earum similibus, & simul juramentum ullum admiscere in familiari sermone, aut sine necessaria causa: quoniam Judæi putabant, mandatum tertium non violari, si hunc in modum jurarent, sed tantum, si pejerarent. De jure humano quoque jusjurandum licitum esse constat; Leges enim Ægyptiorum mandant, creditis absque scriptura mutuo pecuniis, si negarentur, itari debitoris juramento, ut quæ jusjurandum, veluti religiosam rem, magni æstimarent. *Diodor. Sicul. l. 2. c. 3.* jure civili Justiniano, Pontificio ac Feudali juramentorum materiam fusè pertractari satis demonstrant *Titt. ff. de jurejur. Cod. de R. C. & jurej. It. de jurejur. propt. calumni. Titt. X. de jurejur. & juram. calumni. 2. F. 5.* In praxi quoque hujus materiæ usus frequentissimus est

## §. II.

De Juramentis itaque acturus, necessum puto cum Ulpiano in *l. i. ff. de J. & J.* pramississe, unde nomen juramenti descendat, Juramentum à *Jurando* der vari notum est, *Jurare* autem nihil aliud est, quam Deum in testem vocare. Ita *Jusjurandum* quidam dictum volunt, quasi Jovis jurandum, per summum enim Deum concipiendum est illud: exstat apud Ciceronem *lib. 3. de offic.* conveniens huic proposito Versus Ennii:

*O alma fides, apta pinnis, & jusjurandum Jovis.*

## §. III.

Cum verò omnis, quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio, à definitione debeat proficisci, videndum est, quid sit juramentum. Est autem in genere *Juramentum Jusjurandum* religiosa asservatio ab ipso Deo instituta, facta cum invocatione nominis Divini, ob res licitas legitime concepta, quæ petimus, ut Deus, tanquam testis dictorum, puniat fallentes. Vel brevius: est religiosa rei alicujus asservatio, in cujus majorem fidem Deus ipse, ut vindex & ultor perfidie, invocatur.

## §. IV.

Jurare possunt omnes, qui juramenti vim & rem, de qua præstandum, intelligunt. Hinc planè non admittuntur infantes, furiosi, mente capti, ebrii, surdi, muti; nec facile admittantur suspecti de perjurio, quia melius est perjurium impedire, quam commissum probare & vindicare. *Mev. p. 4. dec. 296.* Brunnemann. *ad l. 31. n. 8. ff. de jurejur.* imò male isti faciunt, & puniri debent, qui hominem ad jurandum temerè provocant, scientes illum pejeraturum. *Martin. ad Ordmat. Sax. Tit. XVIII. §. 2. n. 12. bique allegat.*

## §. V.

Jurandum regulariter est in loco judicii *l. 12. in pr. & §. 5. C. de reb. cred. & jurejur.* nisi persona, quæ jurare debet, sit illustris, vel alià præclarà gaudeat dignitate, vel etiam morbo impediatur, ad has enim domum mitti jubet JCtus in *l. ad personas egregias 15. ff. de jurejur.* ubi Brunnemann. personas hoc privilegio gaudentes recenset.

## §. VI.

Caterùm, æquivocationem tam verbalem quam mentalem vitandam esse, docet Amel. *de conscient. lib. 4. cap. 22. q. 5.* quoniam secundum mentem deferentis jurandum est; hinc meritò damnantur reservationes & æquivocationes illæ mentales, cum sine gravissimo peccato non possint adhiberi. Vide Amel. *l. cit.*

## §. VII.



## §. VII.

Præstandum autem est juramentum de relicta, non obligat enim ad turpia *naturaliter talia*, v. c. de peccato aliquo committendo, aut officio omittendo, quia res mala nullam vim accipit à juramento; neque obligat ad turpia *civilitèr talia*, quæ scil. more Regionis sunt turpia. Vid. l. 42. de V.S. De Jur. Canon. omne juramentum, quod absque dispendio salutis aeternæ & tertii præjudicio servari potest, servandum est. c. 28. X. de jurejur. & c. 2. de pact. in 6to.

## §. VIII.

Forma Juramenti extrinseca consistit in variis ritibus & ceremoniis, quæ pro moribus Regionum & Gentium variè extiterunt; præstantur igitur juramenta vel tactis sacrosanctis Evangeliiis, vel ita, ut Mares jurent erectis digitis duobus prioribus manus dextra: Fœmina verò appositis ad sinistrum pectus iisdem, quod juramentum *corporale & solemne* vocatur, Germ. ein *zierlicher / körperlicher / leiblicher / gelehrter Eyd*. Rationem huius ritus à Dd. sæpe quaesitam, nondum tamen inventam scribit Gilhausen in arbor. jud. civ. part. 2. cap. 6. §. 6. n. 9. eam tamen circa mares in eo aliqui reponunt, ut doceamur mentem & manus versus Deum, quem in testem invocamus, elevandas, unde & in Sacris sæpe levare manum pro jurare legitur. Fœminas autem pectori sinistro applicare digitos, sursum non tollere, ut significetur subjectio, quæ viris sunt obstrictæ; sed an hæc ratio satis fringat, alii viderint, Ego potius per istam impositionem significari existimo, quod nempe velint ex toto pectore jurare. Porro, si Judæus ad testificandum sit productus, aliæ iterum ceremonia adhibentur; formulam ejusmodi juramenti vid. apud Martin. ad Ordin. Sax. Tit. XX. §. 3. n. 30. Hæc solemnia juraturis merito explicentur.

## §. IX.

Requiritur etiam, ut Juramentum tres habeat comites, Veritatem, Justitiam, & Judicium. *Veritas*, ut id, quod confirmatur, sit verum, saltem secundum potentem conjecturam, & si factum futurum respiciat, adsit enixa voluntas implendi promissa. *Justitia*, ut sit licitum, decens & honestum, quod juratur, quia turpia sub obligationem non veniunt. c. 58. de R. J. in 6to. *Judicium*, ut præstetur maturè & cum prudenti deliberatione, non nisi ex necessitate, vel gravi utilitate id exigente.

## §. X.

Finis juramenti est, ut veritas eliceatur, & controversiæ sit terminus, de quo præclare Apostolus *Hebr. 6. v. 16. ἡς Βεβαίωσιν πάσης ἀπίστοντας πέρας, ὁ θεός.* Est enim maximum remedium expediendarum litium l. ff. de jurejur. cum lites melius decidi ac finiri nequeant, quam jurisjurandi religione. *Exod. 22. v. 11.*

## §. XI.

## §. XI.

Coronidis loco hic quoque notari meretur, si Principes, Comites & Barones, bey ihren Fürstlichen/Gräfflichen/Adelichen Ehren und Treuen aliquid promittant, ex notoria Germania consuetudine veri juramenti vim habere. Gail. 2. O. 59. n. 2. cum hoc casu tantum operetur fidei interpositio, quantum verum & corporale juramentum, quamvis desit substantiale juramenti, invocatio nempe nominis Divini.

## CAPUT II.

De summa Juramenti divisione in promissorium, assertorium, & mixtum; in specie verò de promissorio ejusdemque diversis speciebus.

## §. I.

**D**ividitur itaque Juramentum à Scholasticis, ut & ratione objecta & finis in PROMISSORIUM, ASSERTORIUM, & MIXTUM, Promissorium juramentum dicitur, quò ea, que pacificimur & promittimus, ita, ut promissimus, servanda religiose confirmamus, & semper respicit tempus futurum.

## §. II.

Promissorium iterum est vel *judiciale* vel *extrajudiciale*. Judiciale, quod scilicet respicit judicium, præstant Judex & Assesores; hinc Assesores Camera Imperialis, quando in numerum Assesorum recipiuntur, jurare debent, quòd secundum Imperii Constitutiones, secundum Jus commune, & laudabiles locorum Consuetudines judicare velint. Gail. 1. Obs. 36. n. 14. Confer. R. J. de anno 1654. §. 105. Secretarios Cancellariae aut Judicii oportet quoque juramento obstrictos esse Cancellariae vel Judicio, perinde ut Assesores, juxta *Ordinat. Cam. p. 1. tit. 79.* Advocati etiam jurare tenentur l. 14. §. 1. C. de judic. debet enim jurare Advocatus, quòd omni virtute sua, omnique ope, quòd verum & justum existimaverit, Clientibus suis inferre procuraturus sit, quòd omne studium in investiganda veritate sit positurus, & si compererit causam esse iniquam, isè causa amplius non patrocinaturus, & si in id processu compererit, se à causa recessurum; quia verò hodie generale Juramentum initio præfari solet, speciale ab usu recessit. Brunnemann. ad l. cit. 14. §. 1. C. de judic. Procuratores quoque debere esse  
jura

jurat & constat ex *Ordinat. Cam. p. 1. tit. 63.* imò in quacunque causa Procuratores, etiam ex officio dati, iuramentum calumniæ exactum reculare nequeunt, cum tali causa sit de substantia Processus. *Gal. l. 1. O. 88. R. J. de anno 1654. §. über dieses* 43. Hinc & Judiciorum Nuntii, die *Gerichts-Bothen/* in bene constitutis iudiciis ab inſtitio officii sui ad negotia probe fideliterque expedienda iurejurando adſtringuntur; de quibus not. quòd si aſſeruerint, legitime ſeſe negotia expediviffe, quæ à iudice ſibi commiſſa fuerunt, ipſis omninò ſit credendum propter iuramenti fidelitatem. *Gail. l. 1. Obf. 54. n. 4.* Unde & eorum Relatio pars actorum ſubſtantialis reputatur. *Gail. l. cit. n. 7.* ibique Excellent. Dn. Thyll. *in ſuis notis in fin.*

## §. III.

Teſtes etiam jurare oportet, nempe ſe veritatem interrogatos, ad articulos probatorios, dicere velle; notum enim eſt, teſtem injuratum nullam fidem facere, quia tota ſubſtantia depositionis teſtium conſiſtit in iuramento. *Gail. l. 1. Obf. 101. n. 1. add. l. 9. C. de Teſt. ibique Brunnemann.* Unde nec ſtatuto vel conſuetudine illud indefinitè induci, aut ſummæ principis diſpoſitione, imò nec Papæ diſpenſatione effici potèſt, ut teſti ſine iuramento deponenti credatur; Exceptio tamen eſt in perſonis illuſtribus & Nobilibus, quia in iſtis ceſſat præſumptio fraudis, & ſubornationis aut perjurii. *Gail. l. 1. d. Obf. 101.* huc quoque pertinet Juramentum reſpondendorum.

## §. IV.

Juramentum promiſſorium extrajudiciale reſpicit cauſas extrajudiciales, quæ ſunt vel *publicæ, quaſi publicæ, vel private.* Ad publicas pertinet Juramentum Imperatoris, qui jurat Electoribus fidelitatem, ſcil. de fideliter tuenda Rep. non verò obedientiam. *Henr. Coccei. de Jur. publ. cap. 22. §. 2.* Et Juramentum Electorum, quod præſtant in Electione Imperatoris. *Schweder. part. 1. ec. ſect. 1. cap. 2. §. 19.* Sic quoque Civitas Francoford. ante Electionem Imperatoris ſuper ſecuritate & ex urbe dimittendis peregrinis jurare debet. *Schweder. cap. cit. §. 17.* It. Homagium ſ. Juramentum Subjectionis Germ. *Erb- und Land's Huldigung's Pflicht* / quòd nihil aliud eſt, quàm adſecuratio fidelitatis & obedientiæ, quam ſubditi faciunt Domino Territorii, ſub cujus Jurisdictione degunt. In tranſitu not. quòd hæc præſtatio & receptio homagii inferat maximè poſſeſſionem Territorii. *Myler ab Ehrenbach de ſtat. Imper. Cap. 38. n. 14.* Porro huc pertinet Juramentum fidelitatis, quòd Vaſalliticum ſ. Vaſallagium *Lebens-Pflicht* vocant, & hoc ſtatus reſpectu Feudorum & Territorii ſuis à Vaſallis ſuis, quibus

prædium aliquod in Feudum concesserunt, exigunt. Juramentum tamen fidelitatis & subjectionis non esse unum idemque, certum est, quia illud ratione rei præstatur; hoc ratione personæ, in multis verò locis subjectionem simul continet. Dn. Stryck. in *Exam. Jur. Feud. cap. 13. q. 15.* Schweder. *part. spec. sect. 2. cap. 11. §. 7.* ubi alias ejusmodi Juramenti species videre poteris.

## §. V.

Ad quasi publicas pertinet Juramentum tutorum & curatorum, jurantium se rem ex fide atque ad utilitatem tutelæ & curæ suæ commissorum gesturos esse. *N. 72. cap. ult.* quod tamen Juramentum in defuetudinem passim abiit, & loco ejus tutores & curatores sub fide juramenti antea Magistratu præstiti promittere indemnitate tenentur. Brunnemann- *ad l. cum furiosus ult. n. 10. c. de curat. furios.* In terris Juliæ & Montium verò hoc Juramentum necessariò requiri, patet ex *Ordinat. Statutor. cap. 47.*

## §. VI.

Ad causas extrajudiciales privatas spectat Juramentum, quod promissorium in specie dicitur, quo aliquid obligationis inducendæ gratià promittitur. Effectus enim juramenti promissorii imprimis est, inducere obligationem ad sui observationem, dummodo vera & seria intentione sit emissum, & reliqua adfint ad validitatem ejus requisita, licet etiam illud emittens ex eo obligari nolit, quia non magis in potestate est hominis impedire, ne juramentum vera & seria intentione jurandi præstitum, obliget, quàm sit in ejus potestate impedire exustionem domus vel stupæ, si v. gr. quis ei de facto ignem applicet, licet maximè exuri nolit; nam sicut ex igne appposito sequitur necessariò exustio: ita ex juramento vera intentione præstito, sequitur naturaliter & necessariò obligatio. Andr. Vallens. *ad Tit. X. de Jurejur.* quamvis jure civili nuda tantùm sit promissio. Huc quoque refertur Juramentum confirmatorium, quod confirmandi contractus gratià accedit. *l. 1. & Auth. Sacramenta puberum C. si advers. vendit.* Verùm d. Auth. tam ad contractus invalidos, quàm validos ipso jure pertinere tenet Vinn. *lib. 1. quest. 15.* non dubitans, quin Fredricus, secutus auctoritatem Juris Canonici, quod juramenti favet & ejus auctoritas tunc maxima erat, novi aliquid juris & Canonico consentaneum statuere voluerit; utcunque *d. l. 1.* (cui famosa illa Auth. subiecta est) ad Contractus jure validos tantùm pertineat. Verùm enim verò illi demum actus jure canonico simpliciter prohibiti & invalidi sunt, qui offendunt pietatem & nutriunt peccatum, super quibus jurare & ipsum peccatum est, & gravius peccatum

catum, quod jurayeris servare; unde illud: in malis promissis rescinde fidem: in turpi voto muta Decretum; Et hoc jure omne juramentum, quod absque detrimento æternæ salutis, aut tertii præjudicio servari potest, servandum est. c. 28. *§. de Jurjur.* Alii distinguendum putant inter Jus Canonicum & Civile, quod jure civ. non confirmetur Contractus, nec sit servandum juramentum per *l. Non dubium C. de LL.* cum juramentum actui prohibito additum potestate Legis unâ cum actu annulletur. Brunnemann. *ad l. cit. n. 11. de Jure Can.* verò sit servandum, & Contractus confirmetur. *d. cap. 28. §. de Jurjur.* Zoëf. *ad tit. ff. de Jurjur. n. 68.*

C A P U T III.

*De Juramento assertorio ejusdemque speciebus rerum controversarum æstimationem concernentibus.*

§. I.

Q Uoniam in præcedentibus breviter perspeximus, quid, & quotuplex sit Juramentum ratione objecti & finis. Vidimus itaque *CAP. II. supra* summam ejus divisionem, & diversas Promissorii species; sequitur nunc, ut quoque tam utiles atque in foro necessarias Juramenti assertorii species perlustremus.

§. II.

Est autem *Juramentum Assertorium*, quò id, quod dictum factumque est, ita dictum factumque esse, DEO teste affirmamus, & ad præsens atque præteritum tempus refertur.

§. III.

Ne verò ordine tumultuario hanc materiam pertractemus, ante omnia notari meretur, hoc Juramentum rerum controversarum vel *Æstimationem* vel *Decisionem* respicere, *Æstimationem* respicit *Juramentum in litem*, quo Judice deferente, ab actore lis sive res in judicium deducta æstimatur; habetque duas species, quarum (1) est *Affectiois*, ubi actor pro suo arbitrio rem etiam ultra verum pretium æstimat, idque ad dolum Rei coercendum. *l. 2. §. 1. ff. de in lit. jur.* ubi Dn. Brunnemann. addit, etiam super lata culpa Juram. affectiois locum habere, quia in penalibus culpa lata pro dolo habetur. (2) est *Veritatis*, ubi æsti-

matur res, quanti revera est. Struv. in *S. J. C. Exerc. 17. th. 59.* Causa efficiens est jus civile. *l. 4. pr. ff. eod.* Impulsiva verò partim aequitas, partim etiam necessitas, si scilicet rei aestimatio aliunde probari non potest. *l. 5. §. 4. ff. de vi.*

## §. IV.

Præter rationem juris civilis de jure Saxonico alia & quidem superiori similis species jurisjurandi est adinventæ, *Juramentum scilicet minorationis s. minutionis*, Germ. *Minderungs-Eyd* / quò reus ob vim rebus illatam conventus damnum eo nomine datum, & ab actore aestimatum moderatur ac diminuit. *Martin. ad Ordin. Sax. Tit. XXXI. §. 1. n. 1.* Causa hujusmodi jurisjurandi est probationum difficultas. Idem *d. loc. n. 3.* differt tamen à juramento in litem, quod Actori tantummodo defertur.

## §. V.

Hujus loci quoque est *Juramentum expensarum*, fit enim aestimatio expensarum prævio juramento, quod per interlocutoriam Victori, facta taxatione, defertur. *Gail. 1. Obs. 151. n. 11.* debent ergo prius taxari expensæ à Judice per *Ant. post. jurandum C. de Judic.* postea jurat pars. *Brunnemann. ad l. Sancimus 15. Cod. eod. n. 10. & 11.* Observandum tamen, quòd hoc juramentum in Camera in parva summa à parte non exigatur, quo casu Juxta simpliciter taxat expensas, & partem adversam ad restitutionem condemnat, nullo victori delato juramento, quia in modicis cessat præsumptio perjurii. *Gail. d. Obs. n. 12.*

## CAPUT IV.

De Juramenti assertorii speciebus rerum controversarum Decisionem per indirectum respicientibus.

## §. I.

PRIMA ergo Juramenti assertorii species rei controversæ Decisionem per indirectum respiciens est *Juramentum dandorum*, quod nihil aliud est, quam si Actor positiones è visceribus libelli formatas Judici exhibet, & simul se offert ad juratam illarum positionum confirmationem. *Dn. Stryck. in introduct. ad prax. for. Cap. XVII. §. 12.* porrò petit, ut hæ positiones Reo transmittantur  
cum

cum prefixo termino, in quo se sistat, & juratò ad illas positiones respondeat, & quidem si factum proprium concernat, per verba: *sage wahr / oder nicht wahr*; si factum alienum, *glaube wahr / oder nicht wahr* / quod vocatur Juramentum respondendorum. Hujus juramenti usus in judiciis admodum frequens est.

§. II.

Secunda species est *Juramentum malitiæ*, Germ. *der Eyd der Bosheit* / quo quis asseverat, se illud, quod proposuit & petiit, non malitiôsè proposuisse; Defertur hoc in certo causæ articulo, in quacunq; judicii parte, & tam in prima quam secunda instantia, quotiescunq; præsumptio est contra aliquem, quod malitiôsè aliquid proponat; Exigitur itaque vel à parte adversa, vel à Judice officio, nam Judex potest semper, si suspicio malitiæ appareat, hoc juramentum exigere vel deferre, quod necessariò præstandum, & quidem regulariter ab omnibus personis, quæ non sùnt exceptæ; excipiuntur enim parentes & patroni, Feudorum Domini & Vasalli. Vid. *Comp. Schützio-Lauterbach. p. m. 177.*

§. III.

Illud quoque obiter hic observandum, Juramentum calumniæ generale à foro Saxonico exulare, uti satis evincitur à textu *Ordinat. Sax. Tit. XXXIII. in pr. hisce verbis: Obwohl das Juramentum calumniæ generale in unsern Landen nicht bräuchlichen* / solo retento calumniæ speciali s. malitiæ juramento. Sed abrogationem ejusmodi juramenti calumniæ generalis meritò nocat Dn. Brunnemann, in *Process. Cap. XV. n. 6.*

§. IV.

Succedit tertia species, scil. *Juramentum perhorrescentiæ*, quò quis jurat, se non credere se justitiam coram Judice inferiori impetraturum; idque vel ob adversarij potentiam. Vid. *c. II. de rescript. in 6to.* vel ob aliam justam causam, v. gr. suspensionem ipsius Judicis, ideoque se perhorrescere coram eodem litigare; cum verò non raro sit suspectus Judex, causa tamen suspicionis probari nequeat, interim alteri litigantium ex indicis non levibus de ea constat, utilis omninò cautela est, convolare ad hoc saluberrimum remedium. Præstatur hoc regulariter coram Judice superiori, ad quem etiam causa devolvitur, & sic convenit ferè cum remedio *l. un. C. quand. Imp. int. pup.* ex quo etiam ut & ex *d. c. II. de rescript. in 6to.* Origo hujus juramenti derivata. Dn. Stryck, in *introd. ad prax. for. Cap. IX. §. 45.*

## §. V.

Sequitur quarta hujusmodi juramenti species, & vocatur *Juramentum appellationis*, quò quibusdam in locis jurare tenentur Appellantes, se non sitivolè, sed causæ suæ bonitati confisos appellasse. Sub hoc juramento plerumque comprehenditur *Juramentum novorum deducendorum*, de quo agitur in R. J. de anno 1654, §. wie ebenmäßsig 73. Verùm hoc tantum procedit, quando appellans nova vult proponere. Paul. Gambs. in d. R. I. ad §. 38. & 43. cum præsumptio contra appellantem sit, quod illa, quæ in appellationis infantia proponere vult, antea benè sciverit.

## §. VI.

Quinta species est *Juramentum diffessionis*, quò privata diffitetur scriptura. Dixi *privata*: quia documenta publica quidem recognosci debent, aliàs tamen in contumaciam pro recognitis habentur; cessat autem jurata illorum diffessio, cum jus civile iis plenam fidem tribuat. Arg. l. 2. Cod. de edend. Not. etiam, quod scripturæ publicæ non sint tantummodò eæ, quæ Magistratûs vel Judicis autoritate confectæ, sed etiam quæ à Notario & testibus in formam publicam redactæ sunt, si scil. de super Instrumentum solenne per Notarium fuerit confectum. Martin. in Ordin. Sax. Tit. XXV. §. 2. n. 85. & 86.

## §. VII.

Sexta & ultima hujus juramenti assertorii species est *Juramentum purgationis* s. *purgatorium*, Germ. der *Reinigungs-Eyd* & definitur, quod sit juramentum, quò reus suspicionibus oneratus, Judice postulante, ab eo ipso, de quo est conventus, se purgat. Introductum est summa ex æquitate, ne malifici, contra quos diffamationes ac suspensiones ad condemnandum in sufficientes militent, profus absolvantur, sed se suamque conscientiam per juramentum purgent. Martin. in Ordin. Sax. Tit. XXXII. n. 1. Fundatum quoque est in jure Divino, ut scimus de jure sese purgaturò juramento purgationis. Exod. 22.

## §. VIII.

Sciendum autem, quod purgatio olim duplex fuerit: *Vulgaris*, quam vulgus instigatione Diaboli induxit, ac consistit in duello, vel in aquæ ferventis, vel in ferri candentis periculo. Vid. Spec. Saxon. lib. 1. art. 39. in verbis: *Sie haben dre verlesen Wahl: das glüende Eysen zu tragen / oder in einen siedenden Kessel zu greiffen bis an den Elbogen / oder mit kämpffen sich deine zu erwehren.* Et *Canonica*, quæ Canonibus & Constitutionibus Pontificum inducta & approbata est,



est, & per solum juramentum expeditur. *tot. tit. X. de purgat. Canon. & hæc, vulgari sublata, sola hodiè remansit. C. I. X. de purgat. Vulgar. ibique Vallens.*

## §. IX.

Sed ut locus detur huic juramento, duo requiruntur: (1) ut veritas aliter investigari nequeat, & præsumptiones, indicia, ac suspiciones contra Reum militent. (2) Ut Reus, contra quem tales præsumptiones pugnant, pro sua defensione nullas habeat probabiles præsumptiones. *Martin. d. l. n. 6. & 7.*

## §. X.

Locum habet hoc juramentum potissimum in criminalibus, quoties ad torturam deveniri non potest; It. in matrimonialibus & causis civilibus arduis. *Dr. Stryk. in Introd. ad prax. for. CAP. XX. §. 12.* Etiam in causis fractæ pacis. *Gail. de p. p. CAP. VII. n. 1.* Idem dicendum de causis & controversiis feudalis, ut scilicet Vassallus se purget, quod feloniam non commiserit, uxorem Domini non curcubitaverit. *Martin. l. cit. n. 13.* Denique etiam locum habet in actione injuriarum, criminaliter intentata. *Brunnema n. ad l. 6. §. 4. n. 7. ff. de his, qui not. infam.*

## CAPUT V.

*De Juramento assertorio directò controversiarum decisionem respiciente, sive litis decisorio, ejusdemque triplici specie.*

## §. I.

CUM in capite præcedenti de Juramenti assertorii speciebus rerum controversiarum decisionem per indirectum respicientibus actum sit, sequitur nunc, ut de Juramento assertorio directò controversiarum decisionem concernente h. e. litis decisorio & ejusdem triplici specie etiam paucis despiciamus. Est autem *Juramentum litis decisorium*, quò quis directò litis decidendæ gratiâ intentionem suam veram esse asseverat.

## §. II.

Estque triplex, Voluntarium nempe, Judiciale & Necessarium. *Rubr. tit. ff. de jurejur. sive voluntario, sive necessar. sive judicial.* Voluntarium est, quod pars defert parti extra iudicium. Voluntarium ideo dicitur, quia per modum conventionis a parte parti defertur, & sic quasi transactum videtur inter partes sese velle litem  
de

decisam, si juratum sit; iuramenti enim delatio & transactio pari passu amulant, & ab uno ad alterum argumentari licet. *l. 2. ff. de iurejur. ibique Brunneemann.*

## §. III

Desertur itaque & suscipitur hoc Juramentum liberâ voluntate, unde deserens non jurat de calumnia; Desertur & ab eo, qui litis decidendâ vel remittendâ arbitrium habet, cum hac in specie id agatur, ut à lite discedatur & jus nostrum remittatur. *Zoës. ad tit. ff. de iurejur. n. 23.* Porrò not. Quod illud non tantum deserat Dominus, cui rerum suarum est arbitrium, sive actor, sive reus sit; sed etiam illi, qui dominorum loco habentur, quibus rerum alienarum administratio est concessa, ut: tutor, Curator, Procurator omnium bonorum, vel in rem suam datus, vel habens speciale mandatum. *l. 17. §. 2. & in. ff. de iurejur.*

## §. IV.

Hocce Juramentum regulariter locum habet in omnibus causis civilibus *l. 34. pr. ff. de iurejur.* etiam matrimonialibus affirmativè, non etiam negativè, quia non est in potestate partium dissolvere matrimonium; hinc nec transactio, nec compromissum contra matrimonium valet, cum sit vinculum coram Deo contractum, quod dissolvi nequit. Cessat autem in criminalibus, si scilicet agatur ad pœnam corporis afflictivam.

## §. V.

Inde etiam descendit Actio & Exceptio in factum ex iurejurando. Est autem *Actio* pratoria, personalis, quâ is, qui adversario extra iudicium postulante, juravit sibi dari vel tradi oportere, agit adversus deferentem, ut conditioni delationis satisfiat. *Vid. Comp. Schützio: Lauterbach. p. m. 181.* Hujus actionis sedes est in §. 12. *l. de adf.* Est itaque à Pratore hæc actio introducta, non constituta jure civili, quia jure civ. nulli actio datur, nisi ei, cui quid debetur; nec satis est in iudicio dicere, sibi quid deberi, nisi & is, qui dicit, probet; non probat autem, qui jurat, utique non propriè & verè. *Vinn. ad d. §. 12.* Juramentum enim non est probatio vera, sed privilegiata. *Dn. Brunneemann. ad l. 30. n. 1. ff. de iurejur.* Est personalis, quia proficitur ex conventionione. *l. 26. §. ult. ff. de iurejur.*

At obj. potest agi veteri actione, quæ etiam competebat pro debito confequendo. *d. l. 30. ff. de iurejur.* Ergo frustranea erit hæc actio in factum.

Concessio antec. nego consequentiam, quia nemo, qui sapit, veteri illâ actione utetur, & probandi necessitati se subijciat sponte, sed magis volet hæc experiri, in qua

qua duntaxat queritur, an juratum sit l. 5. §. 2. ff. cod. Perinde etiam est, an juratum, vel juraturo hoc Juramentum remissum sit l. 9. §. 1. ff. h. t.

## §. VI.

Exceptio verò jurisjurandi datur Reo i. e. debitori contra deferentem scil. creditorem §. 4. J. de Except. imò contra quemcunque Successorem, nam hæc Exceptio ex jurejurando realis est. Chlingensperg. ad tit. I. de act. q. 53. Huic exceptioni affinis est Exceptio pacti conventi, nam & jusjurandum, de quo hic quaritur, in se conventionem habet, propter quam non minus servatur, quam propter Religionem. Vinn. in cit. §. 4. J. de Except. Not. verò, quod tam hoc jusjurandum quam pactum non sint modi dissolvendæ Obligationis jure civili. §. 3. & 4. J. de Except. Nam Jure Romano notorium est, ex pacto nudo non dari actionem; Hodie tamen unanime Dd. conclusum est: ex omni pacto serio & deliberato inito validam nasci actionem. Dn. Stryk. in usu modern. n. ad tit. de Pact. §. 1.

## §. VII.

Hactenus de Juramento Voluntario: succedit itaque hoc loco *Juramentum iudiciale in specie ita dictum*, quod scil. à parte parti in iudicio, Judice comprobante, directò litis decidendæ causâ defertur. Dixi *in iudicio*: unde differt à Voluntario, quod extra iudicium defertur, & quidem ita, ut ab initio à litigantibus suscipi vel non suscipi possit; It. Voluntario nec adest præstandi, nec referendi necessitas. Zoës. hic n. 27. Iudiciale verò delatum, omninò præstandum, vel referendum juxta l. manifestæ turpitudinis 38. ff. h. t.

## §. VIII.

Defert Actor & Reus; deferens tamen prior de calumnia jurare debet, si exigatur. l. 34. §. 4. ff. h. t. Excipiuntur autem parentes & patroni, quibus Juramentum calumniæ remittitur, quia suspicio temerarii litigii in iis cessat. Arg. l. 16. ff. hic & l. 8. §. 5. ff. qui Satisdar. cog. Sed obstat d. l. 34. §. 4. ff. h. t. in verbis: hoc jusjurandum de calumnia neque patrono, neque parentibus remittitur. 31. Pro voce NEQUE legendum esse ÆQUE non sine ratione habet vulgaris Dd. Opinio, cum hæc Lectio corrupta dicenda sit; secundum Lectionem Neotericam enim sic legitur: Æque patrono & parentibus remittitur. Vid. Gothofred. ad l. cit. 34. §. 4. lit. m. n. & o. Zoës. ad tit. ff. de jurejur. n. 31. & 32. Martin. in Ordinat. Sax. tit.

tit. XIX. §. 6. n. 16. *ibique alleg.* Aliud verò obtinet, si propter rem, quæ petitur, juratur, quò casu nec parenti, nec patrono remittitur jusjurandum *l. quoties 14. ff. h. t.* quia hæc viâ non læditur honor parentum,

## §. IX.

Defertur omnibus, qui rei controversiæ intellectum habent, cujuscunque sint sexus, ætatis & conditionis. Vid. *Comp. Schützio-Lauterbach. p. m. 182. ibique cit. l. 20. & 26. ff. h. t.* In omnibus causis & actionibus personalibus & realibus, rei persecutoris & penalibus, petitoris & possessoris, ordinariis & extraordinariis. *l. 3. §. 1. & l. 34. princ. ff. cod.* It. in causis injuriarum per *l. 5. §. 8. ff. de injur.* Non verò locum habet hujus Juramenti delatio in criminalibus ad poenam corporis afflictivam tendentibus, ob metum nempe pejerationis; secus est, si de poena pecuniaria tantummodo agatur. Quid in causis matrimonialibus obtineat, Vid. §. 5. supra, cum hic unum idemque sit, quod in Juramento Voluntario.

## §. X.

Sciendum quoque, hoc Juramentum duplici modo deferri, (1.) Committere factum alicujus conscientia. Germ. *Die Klag eines Gewissen schieben* / scil. in Juramento veritatis. (2.) Committere controversiam alicujus scientiæ & notitiæ, *Die Klag in ein Wissen schaff und wollbewusst stellen* / scil. in Juramento credulitatis.

## §. XI.

Ceterum, quæstio non inutilis hic vertitur, nempe, an Actor, qui nihil probavit, & nulla præsumptione Juris adjuvatur, possit Reo deferre jusjurandum Judiciale, eò effectu, ut nisi reus juret, aut jusjurandum referat, sententiâ Judicis sit condemnandus? Super hac quæstione non unanimes est Dd. consensus, multi enim negativam, plurimi verò affirmativam amplectuntur opinionem; & hanc ego cum Vinnio *lib. 1. quæst. 42.* libenter sequor, cum juri publico permissum sit actori, etiamsi nihil probaverit, reo deferre jusjurandum Judiciale, qui id aut subire, aut referre cogitur, recusans enim sine justa causa pro confessio & convicto habendus atque à Judice condemnandus erit, Quæ communis & recepta sententiâ est, teste Vinnio *d. loc.* Frideric. Vosswinckel *in disputat. de different. jur. commun. & statutar. Jul. & Mont. differ. XIV.* Not. verò, quod in ordinatione statutaria Julia & Montium optimè provisum sit, reum hoc Juramento temerè non esse gravandum. Vid. *cap. 50. d. Ordinatur. in princ.*

## §. XII.

## §. XII.

Denique observandum, quod Actor, cui probatio inuncta, pro andi viam eligere possit, quam velit; circumspicere tamen hoc casu agendum, & in adversarii ingenium & mores inquirendum est, an scilicet conscientiae rationem habere soleat, nec ne? Si igitur cum homine sincero & conscientioso nobis negotium sit, qui jurisurandi rationem habere solet, & aliae probationes liquidae v. c. per testes, vel instrumenta in promptu non sint, vel quis etiam sumptibus in producendis testibus parcere velit, deferat ipsi hoc Juramentum judiciale, quod vel acceptandum, vel referendum per *l. 38. ff. h. t.* & ita negotium erit finitum; uti praclare monet Dn. Stuyk. in *litro. d. ad prax. for. CAP. XVII. §. 9.*

## §. XIII.

Hac itaque de Juramento Voluntario & judiciali: sequitur jam *necessarium*, quod nomen inde accepisse dicitur, tum quod Judex illud deferre cogatur; tum quod is, cui delatum est, id subire necesse habeat; tum quod nec remitti a Judice, nec referri ab eo, cui delatum est, possit. Vocatur etiam *Suppletorium*, quia sine hoc jurejurando res expediri non potest ob probationum inopiam, ideoque Judex alicui ad imperfectam suae intentionis probationem confirmandam & suppleendam hoc deferat. Est igitur *Juramentum necessarium sive suppletorium*, quod in causa dubia a Judice deferatur Actori vel Reo propter defectum plenae probationis. *l. admonendi 31. ff. h. t.*

## §. XIV.

Deferat hoc Juramentum solus Judex parte petente, vel etiam ex officio; attamen longe melius erit, si is, cui probatio inuncta, viderit, se plenè probare non posse, expressè petat, se admitti ad Juramentum Suppletorium; cum Judex nemini Officium suum, praesertim ad privatam partis utilitatem, impartiri soleat, nisi imploratus sit, & Jura vigilantibus non dormientibus scripta sint. *Gail. 1. O. 108. n. 3.* possit enim per incuriam hoc negligere, si non petatur.

## §. XV.

Deferatur ei, qui semiplenè, vel plus quam semiplenè probavit; Si ergo Actor semiplenè probaverit, actori deferendum est Juramentum, si verò Reus, Reo. Brunemann. *ad l. 3. C. de R. C. & jurejur. n. 9.* Si tamen uterque pariter semiplenè probaverit, in arbitrio Judicis est, cui deferat; melius tamen reo deferet, cujus partes sunt favorabiores. Brunemann. *d. l. n. 10.* Dn. Thyll. *ad Gail. l. 1. Obj. 108.*

Zoës. *ad Tit. ff. de jurejur. n. 40.* Digniores etiam hic præferuntur indignioribus. Martin. *in Ordinat. Sax. tit. XXX. n. 51.*

## §. XVI.

Ante omnia autem notari meretur, semiplenam probationem consistere (1.) In uno teste omni exceptione majori, hoc est, tali contra quem non potest excipi, quo minus ad testimonium dicendum admittatur. (2.) In duobus testibus non idoneis. Brunnemann. *ad l. 31. n. 5. ff. de jurejur.* (3.) In libris mercatorum, de quibus infra §. 18. (4.) Semiplenæ probatione assimilantur etiam præsumptiones, non tantum Juris, sed & aliæ ita concludentes, ut Judici fidem faciant, & instar semiplenæ probationis se habent. Brunnemann. *ad d. l. 31. n. 9.*

## §. XVII.

Locum habet hoc Juramentum in causis civilibus dubiis, non etiam arduis. Andr. Vallens. *ad tit. x. de jurejur. §. 6. n. 1.* propter suspicionem perjurii, ratione magni commodi, nisi plus quam semiplenè probatum sit. Gail. 1. O. 108. n. 11. Respuunt delationem Juramenti suppletorii. (2.) Causæ criminales pœnam corporis afflictivam in se habentes, quia in his probationes luce meridiana clariore requiruntur. *l. ult. C. de probat.* Gail. 2. *obs. 94. n. 2.* Vinn. *l. 1. cap. 44.* (3.) Matrimoniales, nam quemadmodum in criminalibus non defertur Juramentum in defectum probationis, ita quoque in causâ matrimoniali hoc Juramentum locum non habet. Gail. *d. l. n. 3.* & 4. Brunnemann. *ad l. 31. ff. hic n. 14.* adeo ut nec pro matrimonio admittatur Juramentum suppletorium propter rei gravitatem. Dn. Brunnemann. *Centur. IV. dec. 34. n. 8.* nisi præter semiplenam probationem insignes præsumptiones concurrant; Dicitur enim causâ matrimonii gravis & ardua, non ratione originis & institutionis, sed respectu contractûs. (4.) Causæ famosæ. (5.) Usurariæ. (6.) Feudales. (7.) Causæ evidentiæ & indubitatae probationis, quam lex vel statutum requirit. (8.) Causæ præscriptionis, nisi præter semiplenam probationem alia insignis pro actore militet præsumptio. (9.) Causæ, in quibus lex vel statutum requirit certum testium numerum pro solennitate, ut in Testamentis, Codicillis, donatione mortis causâ; It. quando de probanda fama, consuetudine, vel etiam de valore rei notorio probando agitur. [10.] Causæ, in quibus agitur de probando mandato, & cessione facta. [11.] Si contra semiplenam probationem sint præsumptiones in contrarium & conjectura. [12.] Causæ, in quibus de probando dolo agitur; It. [13.] De probando errore Notarii in Instrumento publico  
com.

commisso. (14.) Causa lationis ex l. 2. C. de rescind. Vendit. probanda. Denique (15.) Addunt vulgò causam statùs. Vid. Martin. in *Ordinat. Saxon. Tit. XXX. n. 15. ---33. exclus. & ibi. citt.*

§. XVIII.

Coronidis loco observandum, libris mercatorum semiplenam probationem tribui; Requiritur autem. (1.) Ut Mercator producens illos sit homo integræ opinionis & bonæ famæ. (2.) Ut rationes propria manu conscripserit. (3.) Ut causa debiti sit expressa. (4.) Ut hujusmodi liber contineat data & accepta. Gail. 2. O. 20. n. 3. Quer. itaque, si duo Mercatores ratione prætii inter se discrepant, & uterque ad Juramentum necessarium provocat, cui id deferendum? R. Deferendum esse ei; in cujus libro omnia hæc requisita reperiuntur. Quid si autem uterque liber sit perfectus, cui tunc deferendum hoc Juramentum? R. Attendendam esse dignitatem, fidem & atatem utriusque mercatoris, cum personæ qualitas hic locum præcipuum habeat. Quid verò tunc, si omnia paria? R. Contra dantem in solutum faciendam esse interpretationem tradit Dn. Brunnemann. *Cent. III. dec. 4.*

C A P U T VI.

*De Juramento mixto, sive calumniæ generali.*

§. I.

**D**ictum hæcenus de Juramento promissorio & assertorio, nec non de utriusque diversis speciebus. Sequitur nunc *Mixtum*, quod partim promissorium, partim assertorium est, quale est *Juramentum Calumniæ generale*, Germ. *Der Eyd vor Gefahrde* / quò quis affirmat, se credere, se habere justam causam agendi vel se defendendi, nec se calumniæ causâ in lite versaturum. Dn. Stryk. *in Introd. ad prax. for. CAP. XII. §. 1.*

§. II.

De Juramento Calumniæ specialis malitiæ supra Cap. IV. §. 2. & 3. actum est Generale itaque hujus loci est, & præstat ad integrum Processum ab initio litis l. 2. pr. C. de *Jurejur. propt. calumniae*. Vel etiam paulò post litem contestatam, nisi

suspicio calumniae adfit, aut ante litem contestatam appareat, reum diverticula, pro more quarere: nam tunc ante litem contestatam deferri posset. Brunne-  
mann. *ad d. l. 2. C. de Jurejur. propt. calumni. n. 8.*

## §. III.

Ratio introductionis in eo sita est, ut fraudes evitentur, & ne veritas occultetur. Vid. *cit. l. 2. §. 4. C. de Jurejur. propt. calumni.* & ut supprimatur & excludatur temeritas ac libido litigatorum, qui animo vexandi sapius absque justa litigandi causa & super re minima processum instituunt.

## §. IV.

Desert itaque hoc Juramentum vel lex, ut in casu *l. 34. §. 4. ff. de Jurejur.* Vel Judex ex officio, si scilicet animadvertat subesse suspensionem malitiae. *c. 2. de juram. calumni. in 6to.* Vel pars parti in iudicio; Et hoc Juramentum necessario praestandum, si scilicet exactum & delatum sit, quia hoc modo est de substantia processus, adeo ut ejus ommissio vitiet processum & sententiam latam nullam reddat. *Gail. 1. O. 84. n. 1.* Si tamen nec pars petat, nec Judex Juramentum illud deferat, ea propter, quod illud ommissum sit, processus non redditur nullus. *Dn. Stryk. in Introduct. ad prax. for. Cap. XII. §. 2. in fin.*

## §. V.

Desertur non solum ipsi partibus litigantibus rerum suarum, vel alienarum generalis administrationem legitimam auctoritate habentibus, sed etiam Advocatis & Procuratoribus, ab his enim pari modo tam secundum jus civile, quam notis & Imperiale Juramentum Calumniae exigi posse docet *l. 2. in pr. C. de Jurejur. propt. calumni. R. I. de anno 1654. §. Ueber dieses verordnet wir 43.* *Dn. Thyll. in suis vindiciis ad Gail. lib. 1. obs. 88.* *Andr. Vallens. ad tit. X. de Juram. Calumni. §. 4. n. 4.* maxime si participes malitiae arguantur. *Mev. p. 6. dec. 49.* In Camera Imperiali refractarii poena arbitraria olim multabantur, teste *Gailio lib. 1. obs. 89. n. 2. & 4.* Hodie tamen consuetudo plerisque in locis in parte Juri derogavit, nam, cum ad munus postulandi admittuntur Advocati, illud generaliter in omne vitae suae tempus & ad omnes causas praestant.

## §. VI.

Non etiam desertur Electorum, Principum & Statuum Consiliaris per *d. R. J. de*



de anno 1654. §. 43. *in pr.* Si scil. nomine suorum principalium agant, secus si in privatis causis; neque hodie Procuratori Fiscali, Caesaris enim & Imperii nomine, ex generali Mandato legis & constitutionis Imperii causas peragit, & in iudicium deducit, igitur talibus juramentis ob Majestatem mandantis gravari non debet; Et calumniari non praesumitur, quem officii necessitas excusat. Gail. 1. O. 90. n. 4. & *ibz* *citt.* Cessat porro hujus Juramenti delatio inter Feudi Dominum & Vasallum, nam Dominus à Vasallo hoc exigere non potest ob fidem, nec Vasallus à Domino ob reverentiam debitam. Dn. Stryk. *in Exam. jur. feud. CAP. XXV. q. 17.* Pari modo ab hoc Juramento immunes sunt parentes & patroni, Confer. *CAP. V. §. 8. supra.*

## §. VII.

Præstandum autem est hoc Juramentum regulariter in omnibus causis, sive civilibus sive criminalibus, *scil. non capitalibus*, sive mixtis. *Arg. l. 1. princ. C. de Jurejur. propt. calumnia.* Imò etiam in matrimonialibus, & spiritualibus, ut cum agitur de decimis, de Jure patronatus & id genus aliis. Vallens. *ad tit. X. de Jure Calumnia.* tam in prima, quam secunda instantia, quia causa Appellationis alia est à prima.

## §. VIII.

Not, quoque, quod hodie Juramentum Calumniae vel ab ipsa met parte in persona, vel ab eisdem Procuratore cum speciali mandato præstari possit per *R. I. de anno 1654. §. 43. in verbis: Entweder in eigener Person/oder vermitteltés eines special Gewalts durch dero Procuratoren.* Nisi Judex ob fonticam & moventem causam à principalibus hoc præstari velit. *c. 3. X. de Juram. Cal.*

## §. IX.

Pœna reculantis jurare de calumnia est, ut quidem actor, quasi improbus litigator ab instituta actione & causa cadat. *l. 2. §. 6. C. de Jurejur. propt. cal.* Requiritur tamen sententia absolutoria Rei; Reus verò habeatur pro confessio. *d. l. 2. §. fin autem reus 7.* & per sententiam judicis definitivam actori, juxta l. belli petitionem, condemnatur: cum in confessum non sint aliae partes judicis, quam in condemnando *l. un. C. de Confess.*

## §. X.

Formula Juramenti Calumniæ habetur in N. 49. Cap. fin. Continetur etiam  
in versibus hisce vulgatis:

*Illud juretur, quod lis sibi justa videtur:  
Et si quaeretur, verum non inficietur:  
Nil promittetur, aut falsa probatio detur:  
Ut lis tradetur, delatio nulla petetur.*

SOLI DEO GLORIA.








153744

AB 153744

X 2512617

2





43. 47

STEPH. HOLTHUSII  
J. U. L.  
MANUALE  
JURAMENTORUM.  
SIVE  
BREVIS ET PERSPICUA  
JURAMENTORUM  
DELINEATIO.

*Opusculum tam in Schola, quàm in Foro  
apprimè utile.*



COLONIÆ AGRIPPINÆ,  
Apud JACOBUM PROMPER Bibliopolam,  
ANNO MDCCVII.

*Ad. finis.*

